

O fortunati, quos hic habet ardor, & ipsæ
 Adversæ jam res, jam dolor ipse juvat!
 Talis fatidicus Daniel horrenda leonum
 Ora, atque immanes pectore magnanimo
 Spectabat rictus, quum flammis torva micarent
 Lumina, & arrectas colla jubas quaterent;
 Nec timuit, nec missa viro vox ulla querelæ.
 Forsitan & doluit non licuisse mori,
 Discerpique avide, dulcemque impendere vitam
 Sponte Deo, juvenem qui bonus, injiceret
 Ut frænum, & rabida obstrueret citus ora ferarum,
 Miserat e cœli sedibus aligerum.
 Talis & illa trium virtus memoranda virorum,
 Quos verita est gliscens lædere flamma, Deo,
 Credo equidem, optantes exuri, victima ut aram
 Usta super tepidum vertitur in cinerem.
 Certe nec flammam fortes timuere, Deumque
 Læti cantabant ignibus in mediis.
 Quid te Paulle loquar? quid te fortissime rerum
 Laurenti? vel te grandine sub lapidum
 Horrisona fractumque artus, multoque fluentem
 Sanguine, dux pubis laurigeræ, Solima
 Quem primum videre ipso pia dogmata pulchre
 Testari letho, quem manus inde virum
 Innumera ad palmam lætanti mente sequuta est,
 Tot matres molli corpore, tot pueri,
 Insuetæque laborum in prima ætate puellæ.
 Quid nam alii, ut tortor defuit? ipsi alacres
 Quippe sua omnimodis torquebant corpora, & ultro
 Ibant Ærumnam quærere per nemora,
 Per silvas, montesque altos, atque invia lustra;
 Et pars exiguum fronde operire casam,
 Pars orno, exesave domum sibi figere quercu,
 Pars sese in rupes condere, pars pluvias,